Utriusque Ordinis
POLITICI & ECCLESIASTICI
VIRIS
Generis claritate, Meritorum gravitate,
Famae celebritate conspicuis,

DN. D. SIM. WEISZIO
COS. ÆR. VICE-PRÆF. ET SCHOL.

DN. C. A. GERET
R. M. SENIORI

D. M. P. IÆNICHIO
RECTORI & ECCLESIASTÆ

D. NATHAN. GOTTL. GNOSPIO
SCAB. MAG.

D. MICH. SCHROEGER
V. C. SCAB.

& reliqua:

Dominis Mæcenatibus & Fautoribus suis
summopere suspiciendis observandisque,
ipsis NOVI ANNI M.D.CCXXXII. auspiciis
VETEREM DEI GRATIAM
pietatis & obsequii memor precatur,
INCLYTORUM NOMINUM
Cultor observantissimus obsequentissimusque
IOH. GEORG. LIPISCH Pannon. h. t. Gymn. Civ.

THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

QVam miris variant vicibus, quæ terrea moles,
Quæve Polus generat, cuncta jubente Deo.
Stant subitoq; ruunt diversis casibus acta,
Lumina quæ passim cernere nostra queunt.
Instabili mortale genus fugit ocyus aura,
Moxq; lares nostros gens peregrina subit.
Multa suas & regna vices sensere repente,
Sedesq; eversas juraq; demta sibi.
Hæc opibus crescunt, istisq; potentia surgit,
Et libertatis non temeratus honos.
Et qvem regali solio fortuna locavit,
Fatali huic adimit sceptra superba die.
Ac triste hoc resonat: Veteres migrate coloni,
Et pateant domino tecta parata novo.
Carolus Hesperiæ sic gentis gloria celsæ
Hæres maternas iure reposcit opes.
Huic fert Parma Duci fasces, huic sceptra ministrat,
Et celebrat plausus hospite læta novo.
Hoc nexu varium flectunt mortalia cursum,
Et gyro ancipiti volvitur orbis opus.
Sic optata dies Musis cum illuxerat orbe,
Secessit noctis tristior umbra procul.
Crevit in immensum Musarum gloria culmen,
Inq; dies doctæ multiplicantur opes.
Artibus ingenuis sensim fit cultior orbis,
Et vetus asperitas turpiter acta fugit.
Famaq; Doctorum sublimi vertice fertur,
Nubila queis mentis pellere cura fuit.
Iamq; Deus sapiens nobis qvæ oracula pandit
Sancta, Viris pridem codice scripta sacris.
Multiplici sermone, patens qva diditur orbis,
Certatim populis grata per ora sonant.
Lux Evangelii gelido sub tramite cœli
Emicat & tenebras discutit alma dies.

Russia qva profert ultra sua sceptra Booten,
Doctrinæ Christi janua magna patet.
Sic celeri versat divina potentia cursu
Orbis terrarum qvicqvid & astra tenent,
Iamq; novo redeunt nobis phænomena more,
Auroræ Arctoi visa sub axe poli:
Insolita apparent & cœlis edita signa,
Nulli visa diu, nec patefacta prius.
Sensim continuis agitatus motibus æther
Forte ruet vasta mole premente gravis.
Et velut extremo properat sub fine laborum
Fessus, terribili proximus excidio:
Ipse tamen summus Cœli fabricator & orbis,
Qvi fieri jussit qvod fuit ante nihil:
Principium sine fine, brevi non clauditur ævo,
Et spatio certis limitibusq; caret.
Ordinat is sapiens venientes arbiter annos,
Partiturq; horas constituitq; dies.
Is veteri finem clemens superaddidit anno,
Præsentisq; dedit tempora grata novi.
Vos, MÆCENATES, vetus hujus gratia texit,
Irradiatq; nova limina Vestra face:
Præterito salvis tenuit Vos viribus ævo,
Et vitæ Vestræ præbuit usq; moras.
Ergo juvat flexo venerari poplite Numen,
Et pia sincero pectore thura dare.
Dumq; salutatū tenuis mea Musa, PATRONI,
Vos Anni auspiciis exhilarata venit,
Qvod Vobis pietas poterit persolvere munus?
Candida qvæve magis vota referre potest?
Si qvid submissa fas est mihi mente precari,
GRATIA PRISCA DEI Vestra sit opto diu.
Novi ecqvidem veterum non complacet omnibus usus,
Et sqvallent turpi tecta relicta situ.

Multâ

Multa probant sese multis novitatis odore,
Sed casa sæpe amplas sordida condit opes.
Sicq; Dei veteri qvid majus amore paterno?
Qvem nullo spatio conficit atra dies.
Hic Vestris duret rebus vigeatq; PATRONI,
Hunc Vobis stabilem semper adesse volo.
Hic adsit, quoties Themidis penetralia sancta
Scanditis, & Patriæ damna levatis ope.
Hic adsit, qvoties genti sacra dogmata Christi
Panditis & caras pascitis eius oves.
Hic adsit, qvoties curis torqvetur iniqvis
Mens, jubeatque procul luctus ut omnis eat.
Hic anno veniente novo Vos robore firmet,
Arceat & Vestro limine triste malum.
Vos idem servet valida seraque senecta,
Viribus & donet pectora Vestra novis.
Atria constanti cumulet repleatq; salute,
Et tribuat pacis munera longa frui.
Vos fama decoret, Vobis concedat abunde,
Qvicquid Vos omni parte beare queat.
Et hæc sunt tenui filo deducta, PATRONI,
Vota, qvibus clemens annuat ipse Deus.
Mœnia sic Patriæ surgent, sic omine fausto
THORVNIO referent secula prisca decus:
Sic laudes Christi celebrabunt Templa Scholæq;,
Stabit & invictum nomen honosque Dei:
Et Vestris ingens succedet gloria tectis,
Contingent claras commoda mille domos,
Interea memori cura servate Clientem,
Sitque novus prisco consociatus amor.
Dulcia tunc nostræ surgent solatia Musæ,
Concipietque novo gaudia more Cliens.